

ACTA
HELVETICA,
PHYSICO-
MATHEMATICO-ANATOMICO-
BOTANICO-MEDICA,
FIGURIS AENEIS ILLUSTRATA,
&
IN USUS PUBLICOS
EXARATA.

VOLUMEN IV.



BASILEÆ,
Typis & Sumptibus JOH. RUDOLPHI IM-HOF,
MDCCLX.

Experti affirmant Chirurgi motum tremulum piscis nostri specificum esse remedium adversus nervorum obstructions, qui exinde pristinam suam movendi facultatem recipiunt: illudque confirmatur experimentis à D. CAROLO BOLTONO in Barbadenfi Insula factis, vide *Art. Harlem. p. 372. Vol. 2.*

E J U S D E M.

OBSERVATIONES

DE ANIMALCULIS ALIQUOT MARINAE AQUAE IN-
NATANTIBUS ATQUE IN LITTORIBUS BELGICIS OBVIIS.

NE mihi Horatii illud, Domi talpa, foris argus, inverta-
tur proverbium, proposui quotannis diligenter aquas no-
stri Belgii, praesertim & Maris nostra littora alluentis perscru-
tari ad detegenda necdum cognita Animalia quae maxima in
copia eas inhabitant, qualis rei luculentissima testimonia affe-
runt, TREMBLEJI, SWAMMERDAMMII, Aliorum, observationes. De-
tectorum autem descriptiones atque icones Orbi Erudito si com-
municem, haud dubito quin cuique praesertim Historiae Natu-
ralis cultoribus rem praestem amoenam, exinde & simul pa-
tefaciam Belgii incolis haud abeundum esse ad remotiora loca
ut miracula Naturae alibi ediscant, cum sua patria divinis his-
ce dotibus nulli orbis terrarum loco cedit. Tab. IV.

Praeterlapso mense Augusto hujus anni, qui est restitutae
Salutis MDCCLVII. observaverat D. DE WATER Historiae Natu-
ralis Cultor mihi que amicissimus corpora nonnulla gelatinosa ex
coeruleo splendida in littore Norvicensi, hisce aquae marinae
injectis vitam inesse ilico detegebat; mox domum reversus
detecti sui me fecit participem: altero statim die & ego lit-
tora adi, inque iis quamplurima talia & reperi corpora; quae
mecum in lagena aqua marina impleta domum portavi,

Tab. IV. atque cum nullibi ea descripta aut icone illustrata atque praesentata sunt, Curiosorum oculis una cum aliis observatis objiciam.

Primum itaque Animal quod D. DE WATER observaverat, erat ad nullum genus à Cl. LINNAEO receptum referendum : accedebat quodammodo ad Beroën ab observantissimo D. PATR. BROWNE detectam atque ad animal à FR. MARTENS in *itinere Spitsbergico* tab. P. fig. g. h. exhibitum. Hujus itaque descriptionem primo sistam.

I. BEROË corpore octagono, sphaerico, tentaculis binis plumosis longissimis *Fig. 1. 2. 3. 4. 5.*

Corpus sphaericum, subpellucidum, gelatinosum, extra aquas ex albo caerulefcens, sub aquis excolor, tenerrimum, octagonum, costis octo cucumeris seu melonis adiustar in octo segmenta convexa distinguentibus, & à superiore versus inferiora ductis instructum (*fig. 3.*) Summum corporis dum haud natat animal parum erat depressum, ejusque centrum in apicem exiguum prominens est (*fig. 4.*) In actu vero dum versabatur animal, haud ita depressa erat ejus superficies, atque apex prominens in centro conspicuus dilatabatur quandoque (*fig. 1.*) nonnunquam protendebatur, varieque plicabatur, atque etiam versus latera inflectebatur (*fig. 5.*) imo & immense ampliatur sese sistebat (*fig. 1.*)

Ab orificio in intimum corpus descendere cernitur *vas* sanguineum rectum, dimidiam corporis altitudinem vix pertingens, atque in medio contractius (*fig. 1. 4. 5.*) Utrum hoc *vas* intestini atque orificium illud oris aut ani vel & amborum simul, quemadmodum in polypis ex observationibus TREMBLEJANIS, vices gerant vix determinare audeo, quum haud discernere potui num quid ederet vel eructaverit animal, nisi ova, de quibus postea.

Costae octo, depressiores, satis latae, corpus per aequalia intervalla (*fig. 3.*) in octo segmenta, quae convexa sunt & ante
costas

costas prominent, dividentes, transversalibus innumerisque pin- Tab. IV.
nulis sursum atque deorsum mobilibus instructae sunt (fig. 2.)
Pinnularum illarum ope sursum, deorsum, oblique, recte, la-
teraliter, verticaliter pro lubitu animal se movebat, celerrimeque per aquas natabat, manente semper apice seu osculo
mox descripto antrosum directo.

Ex utroque latere baseos intestini segmenta duo convexa
(ab utroque latere unicum scilicet) perforata sunt hiatu ovato, ad
quos in intimo corpore cernitur vas amplum à summo ver-
tice oblique descendere (fig. 1. 4. 5.) Singulo hiatu inhaeret
Tentaculum tenerrimum, extensile atque contractile, mobilissi-
mum, ab interiore latere villis longitudine inaequalibus satis
longis, tenuissimis, omnibus versus eundem ductum flexis in-
structum. Tentacula haecce corpus in motu existens subse-
quuntur, quandoque ita extenduntur, ut decies corporis lon-
gitudinem superent (fig. 1. 5.) quandoque & ita contrahuntur,
ut vix in conspectum veniant (fig. 4.) manente reliquo cor-
pore in motu.

Variis etiam vicibus observavi cum ad superficiem aquae
nataret animal, quod magna satis vi eructaret quamplurimos
minutos globulos continuo per aquae superficiem natantes at-
que vi sua circumvolventes; quos ovula puto, naturalique
magnitudine eos exhibui (fig. 5.)

Corpus hujus animalis constabat ex Gelatina satis firma, ela-
stica, pellucida, subaquis excolore, intra aquas ex caeruleo
albida, post mortem ilico in aquosum abiente humorem, reti-
nentibus radiis diu adhuc pristinam suam formam.

In spiritum vini immisum animal contrahebatur atque
sensim dissolvebatur.

Notas huic generi statuo

Corpus pellucidum, gelatinosum, rotundatum, costis
deorsum ductis, corpus in segmenta secantibus, pinnatis in-
structum.

Tentacula quandoque bina, quandoque nulla.

II. *MEDUSA* hemisphaerica, costis transversalibus quatuor, tentaculis marginalibus plurimis minimis, margine integerrimo. *Fig. 7.*

Corpus hemisphaericum, superne globosum, laevissimum, admodum pellucidum, gelatinosum, tenerrimum, aliam hemisphaericam corporis partem quatuor cruciatim positis costis instructam continens atque superne obtegens. Inferior atque obducta corporis hemisphaerica pars superiore erat depressior, in cujus centro macula quadrangularis, intestina ut videbatur, continens. Ex hujus quadraturae angulis crucis adinstar, deorsum versus marginem inflexae prodibant quatuor costae tenerrimae simplicissimae, quarum ope marginem coarctabat, contrahebat, dilatabatque, earumque ope celerrime oblique per aquas saltabat, manente convexa corporis parte semper antrorsum versus directa.

Margo inferior erat tenuis, integerrimus atque simplex, annularis, creberrimis tentaculis magnitudine aequalibus minutisque cinctus.

Color atque *Substantia* corporis erant ut in Beroë, quam minus frequens in nostris littoribus.

III. Eodem & tempore quo bina sequentia animalia detexi, observavi & aquam marinam scatentem animalculis minutissimis ex crustaceorum genere, quorum iconem sistiti *fig. 8.* Microscopii ope detexi illa accedere ad animalia quae *Pedicularum Marinorum* nomine veniunt, atque à *Cl. LINNÆO Cancris* immixta sunt, à quibus toto attamen coelo differunt itaque nomen atque notas genericas utpote novo generi statuo

SQUILLA,

Corpus filiforme, articulatum, longum, teres, in dorso reclinatum natans.

Anten-

Antennae subulatae; articulatae, quatuor.

Tab. IV.

Pedes praelongi graciles quatuordecim utrinque scilicet VII, binis anterioribus paribus cheliferis.

Oculi duo, ad latera capitis, non stiliformes, simplices utrinque unicus.

S Q U I L L A acaudata pedibus quatuordecim. *Fig.* 8.9.

Caput rotundum antice depresso-sculum superne planum.

Oculi duo, sphaerici, simplicissimi, haud styliformes quemadmodum in astacis cancrisque, utrinque in lateribus unicus.

Antennae quatuor, articulatae, subulatae, simplices, in antico capite sitae, per paria dispositae.

Corpus praelongum, teres, articulorum sex, excepto capite. Articulis secundo & tertio in gravidis intra pedes adhaeret praetenuis atque utrinque convexa membrana ova includens; qualem exhibui *fig.* 10. *a. b.* qui articuli respondent *fig.* 9. *litteris a. b.*

Pedes graciles, longi, in universum quatuordecim, utrinque scilicet septem, horum bina priora paria chelis sunt instructa; reliqui vero pedes sunt subulati natatorii. Singulum par est adnexum articulo. *Chelae* anticorum pedum sunt monodactylae, prioris paris non dentatae, secundi vero dentatae & aculeatae.

Cauda nulla. Ultimum pedum par corpus terminat.

Dum *natat* dorso incumbit atque velocissime ope postico-rum pedum per aquas transiens.

Color cinereus; Calida tempestate in obscuro lucet dum vivit.

Frequentissimum animal in nostro mari.


I V. Praeter jam descripta animalia reperi & aquae marinae innatantem

Tab. IV.

H 2 D R A M corpore oblongo cylindrico, gracili, tentaculis brevibus. Fig. 6.

Animal erat solitarium, lateribus vasis adhaerens cauda applanata haud abfimilis ab illa specie quam oculatissimus TREMBLEJUS maxima in copia in dulcibus aquis reperivit. *Tentacula* ei erant septem octove corpore semper breviora.

Egregium praebet hoc animal argumentum disputandi Botanologis Corallia plantarum annumerantibus cohorti: Statuere enim possunt; Animalia haecce libere vasculis tubulisque coralliorum inhaerere quemadmodum nonnulla insecta terrestria plantis insident.



D E S C R I P T I O N

De la Grande Campanule, à feuilles très-larges, & à fleur bleuë, avec ses variétés :

Campanula Maxima foliis latissimis, flore Caeruleo.
C. B. Pin. p. 94. Nro. 1.

P A R

A B R A H A M G A G N E B I N.

Cette superbe Campanule, Clochette, ou Campánelle, est perennante, ou vivace par sa racine, qui est d'un blanc sale, quelquefois jaunâtre, & fibreuse, de 2. à trois pouces de longueur, sur un d'épaisseur; poussant depuis le Colet dans toute sa longueur, plusieurs fibres de diverses grosseurs & longueurs, depuis un fin fil jusqu'à celui d'une bonne ficelle, ou de la taille d'un tujau médiocre de plume à écrire, aussi blan-

